

**Decanus Facultatis Medicae in Academia Rostochensi Suo & Collegae nomine
Ad Exequias, Quas ... Dn. D. Jacobo Fabricio, ... Simon Paulli, D. & Daniel
Sandovius, D. paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum cives Academicos ea,
qua par est, reverentia ac humanitate vocat atq[ue] invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962045>

Druck Freier  Zugang





Kl. 241. (2.) <SON>



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn746962045/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962045/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn746962045/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962045/phys_0004)

DFG

26

DECANUS
Facultatis Medicæ in Academias Rostochiensis
Suo & Collegæ nomine
Ad Exequias,
Quas
Viro Excellentissimo atq; Experientissimo,
Dn. D. JACOBO
FABRICIO,
Serenissimi Daniæ & Norve-
giæ Regis FRIDERICI III Ar-
chiatro, Medicinæ in hac Acad. Profes-
sori, ejusdemq; Facultatis
Seniori,
Generi, SIMON PAULLI, D.
& DANIEL SANDOVIIUS, D.
paratas cupiunt,

Omnes omnium ordinum cives Academicos ea,
qua par est, reverentia ac humanitate
vocat atq; invitat.

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis
Typis NICOLAI KILL, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LII.





547

Ihil esse turpius sene, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet vixisse, præter ætatem, scitè admodum dixit Seneca: etenim otiosam atq; iner tem juventutem non nisi obscura & contempta excipiet senectus: quid enim o tium aliud est, quam vivi hominis sepultura? Laudan tur Lacedæmonij, apud quos in tanto pretio labor erat, ut ne deambulationem quidem civibus suis permitte rent infra dignitatem populi sui esse rati, seriis non occu pari Spartanos. Atq; omnino labor pertinax unicum instrumentum est, quo comparantur, quæ supra spem sunt atq; exspectationem: equidem non otio, sed labore confirmatam tibi reddes corporis sanitatem, annosq; ultra annos longissimè produces. Divitias verò & opes qua tu ratione cumulari, honores ac dignitates quo modo acquiri putabis, si non labore atq; industria? Fortunam suspicies, scio, ac favorem; sed ô te infelicem, qui à fortuna exspectas beneficium, cuius momentanea est varietas, & quæ, cum maximè blandiri videtur, tacitè parturit exitium! Fragilis quoq; felicitas, quæ humano nititur favore; splendet illa amicis florentibus iis dem vel laborantibus, vel cadentibus, exstinguitur. Unus labor invictus est, & tanti roboris, ut fortunam contemnat, favore non egeat: proindeq; labore atque

A 2

inde

inde nata virtute quæ suffulta est felicitas sola durat, sola consenescit, & nec in ipsa morte virum borum destituit. Exemplum si petitis, exemplo vobis erit JACOBUS FABRICIUS, Professor hujus Academiacæ celeberrimus deq; ea præclarè meritus, nostræ Facultatis, nec non totius Professorum ordinis à multis jam annis Senior gravissimus. Vir inter illustres literatorum nostri seculi principes non imo loco numerandus, cui quantum profuerit ad honoratam senectutem, laboriosa juventus atq; impigrum virtutis studium ex vitæ, quam subjungimus, historia elucescat. Natus est JACOBUS FABRICIUS in hac ipsa urbe anno Salvatoris M. D. LXXVI. die XXVIII Augusti, Patre HENRICO Schmidt/ Viro honestissimo & spectatæ probitatis, inter pistores Seniore, centum, viro & per plures annos ærarii urbis præfecto, Matre DOROTHEA Wulffes/ filia Reverendi Viri DN. JOACHI MI Wulffen/ primi Evangelici Pastoris in Brüse/ qui pagus est hujus Ducatus Goltbergæ vicinus, omnium matronalium virtutum decore maximè conspicua fœmina. Ad altiora factum puerum præclaræ indoles statim prodidit, quæ caussa fuit, cur à Parentibus in disciplinam traderetur Clarissimo Viro, NATHANI CHITTRÆO, Scholæ oppidanæ tunc temporis moderatori celeberrimo, quo magistro in linguarum Græcæ ac Latinæ studio, cæterisq; ea ætate quæ discuntur, egregios brevi temporis spacio fecit, profectus, eosq; postea in schola Lüneburgensi perfecit, ubi cum per annum unum atq; alterum substitisset, in patriam reversus est studiis Academicis operam daturus,

578

rus, ad quæ dum se accingeret, ecce Princeps ille Astronomorum *Tycho Brahe* petuit per literas ex Academia Rostochiensi Studiosum, cuius opera in cœlestibus observationibus & calculo Astronomico uti posset. Dignus tunc præ aliis viuis fuit, qui mitteretur, JACOBUS FABRICIUS sedecim annorum adolescens, qui cum ad *Tychonem* in *Huenam* insulam & *donum Uranoburgicam* venisset junctus Christiano Longomontano, Mathematico excellentissimo & de re Astronomica optimè merito, fideliter & cum laude præstítit *Tychoni*, ad quæ requisitus fuerat. Confectis in *Huena* insula quatuor annis profectus fuit in *Belgium*, indeq; in *Angliam*, utrobiq; ex solis disciplinis Mathematicis, quas magno applatu domi docelat, necessaria vitæ abundè recipiens. Postea in *Germaniam* superiorem se contulit, lustratisq; urbibus celebrioribus *Jenæ* anno M. DC. II. Doctoris Medici gradum consecutus est jam antè & Philosophiæ Magister & Poëta laureatus. Eodem anno patriæ suæ redditus de vita socia ineunda cœpit cogitare, nec multum moratus anno sequente matrimonio sibi devinxit virginem lectissimam, pudicissimamq; MARGARETHAM filiam RUDOLPHI MOLLERI civis Rostochiensis non infimæ fortis, & TILSAE DENIÆ, cui patruus fuit FRANCISCUS DENIUS. Medicus ad oras Balthicas olim magni nominis, ex qua sua uxore novies prolem suscepit exoptatissimam, filios quatuor & quinq; filias, nempe: PHILIPPUM JACOBUM, JOHANNEM ADOLPHUM, MARGARETAM ELISABETHAM, SOPHIAM, HENRICUM

A 3

CUM

CUM, SOPHIAM, ELISABETHAM;
HENRICUM, SOPHIAM. Ex quibus tres
postiores solum supersunt : ELISABETHA in-
uxorem data Viro Excellentissimo atq; Experientissi-
mo DN. D. SIMONI PAULLI, Medicinæ ante
hac in nostra Academica Professori, nunc Serenissimi
Danicæ ac Norvegiæ Regis Medico aulico : SOPHIA
nupta Dn. DANIELI SANDOVIO, J. U. D. Judi-
cij provincialis, quod Sternbergæ est, Advocato, & Pro-
curatori solertissimo: HENRICUS Medicinæ Studio-
sus, qui si ea esset valetudine, cuius ingenij, non defor-
re putamus paternæ virtutis æmulam prôlem. PHILIP-
PUS JACOBUS FABRICIUS, Hebrææ
Linguæ in Academia patria Professor, mirandi inge-
nij ac raræ doctrinæ in ipso juventutis flore patri atque
Academiæ erexitus est : reliqui cum minoris essent æ-
tatis vitam cum morte commutarunt, quos mater
FABRICIANA uxor anno M. DC. XXIII. pla-
cido ac beato obitu secuta est. Ipso primo initi conju-
gij anno, cum ex felici curationum successu jam incla-
ruisset FABRICII nomen, adscitus est in Archia-
trum aulicum Gustroviensem ab Illustrissimis ac Cel-
cissimis Ducibus Mecklenburgicis, & primò quidem
à matre SOPHIA Ducis JOHANNIS vidua,
postea etiam à filio JOHANNE ALBERTO.
In qua functione cùm fidem atque industriam suam
Principibus satis superq; probaret, anno M. DC. XII.
præter cætera, etiam Medicinæ ac superiorum Mathe-
matum professio ipsi collata fuit, qua ita defunctus est.
ut non solum officio suo præclare satisfaceret, & cum-
primis

549

primis Medicinæ Studiosos magno numero affluentes summa dexteritate ac fide tam publicè , quam domi suæ doceret , sed & totam Academiam nominis sui celebritate, ad invidiam usque, illustraret. Et quid non præstissem eum putabitis , aut quanti non illud æstimabitis , quod , cum annis abhinc ~~XIV.~~ bellico terrore penè exanimatum esset Reipublicæ Academicæ corpus , inihiante fortunis Academicorum milite, solius JACOBI FABRICII opera ac merito illas servatas, ad æternam Viri laudem , annalibus insertum legatur ? Interea cum FABRICII fama , ex felicissimis atque admirandis curationibus quorundam eminentioris gradus ægrorum , subinde caperet incrementum , nec jam finibus suis se amplius contineret , sed mare ipsum transvolasset , petiit virum ex Academia munifico proposito stipendio , immortalis gloriæ heros CHRISTIANUS IV. Daniæ & Norvegiæ Rex , à quo & honorificè hinc in aulam Regiam anno M. DC. XXXVII. evocatum & deductum meminimus , ubi , cum in Regia valetudine curanda & conservanda vigilantissimus esset , Magni Regis clementia ac munificentia nnnquam illum deseruit. Decedente ex hac vita CHRISTIANO IV. & evecto in Regium solium FRIDERICO tertio , non migravit in alium statum FABRICII vel fortuna vel dignitas , cum Rex pari clementia illum exciperet ac foveret , nulli melius corporis sui curam committi posse ratus , quam qui fidei suæ experimentum parenti jam comprobaverat. Verum paucis abhinc annis , ex marasmo senili , aliquam virium jacturam facere coepit , cui cum repugnante ætate , parum

rum succurri posset, res tandem eò devenit, ut valetudini non amplius fidens domi se continere cogeretur; ex quo tempore non nisi beatam ex hac vita emigrationem meditatus est, &, cum post alia atq; alia colloquia sacra cum astantibus, Theologis in primis, habita die XI Augusti proximè elapsi cœlesti viatico refectus esset, die XVI inter preces & suorum lacrymas constante mente & composito vultu piè placideq; exspiravit. Hæc vita fuit Medici incomparabilis J A C O B I F A B R I C I I, Senioris ac Collegæ nostri desideratissimi, cuius obitum jam ante satis conspectum illustriorem redidisset summus Academiæ magistratus, quem hoc ipso semestri ex ordine gestasset, præsens si fuisset. Nostrum est, cives Academicci, dolere & viri optimè meriti memoriam sacram habere, ejusque intuitu discere, quò tandem vita hominum feratur, & in quem statum fortuna quantumvis splendidissima ultimò desinat. Faciamus supremum humanitatis officium funeri ejus deductionem honorata frequentia cohonestantes.

P. P. sub Sigillo Facultatis Medicæ XVI.
Kalend. Octobris. Anno
M. DC. LII.

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn746962045/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962045/phys_0013)

DFG





Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn746962045/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962045/phys_0015)

DFG

temporis D E O mirabiliter dirigeret
Etiam, Patriam suam Helyetiam, Prae-
linquens in Romanum imperium
sincerum verbum DEI pro germina-
vir juvenis, Linguarum, Historiarum
os, (cujus amore cum primis flagraba-
incubuit, ita ut Imperator Caiolu-
Poetica, in quibus inter alia egregi-
niae descriptis, non sine singulari an-
stante Cæsaris documento) legit, ac
reâ, quæ tum magna erat dignitas, e
occasione stemma Nobile Fidlerianum
Album Nobilium Romani Imperii
& ultra, pro placito Cæsareo coopta-
tem utriusq; sexus derivandum, p
renovavit. Huncq; meum præno-
licem Fidlerum ob singularem eruditio-
ingenij & animi Heroici dotes, pro-
buit. Hac Nobilitate quamvis no-
gratiâ Domini mei Jesu Christi, in i-
menter mihi immerito concessâ:
pudet, sed magis me nobilitare ci-
S. S. Ministerium, ad quod Domini
ministrum suum destinavit. Hæc
summa dignitas, omnes humanas di-
titulos superans.

Natus autem sum Ego CONS
LERUS, Dantisci Anno 1579. 6. I
tina Patre VALERIO FIDLERO
re, quondam Ducis Prussiæ Archi-
Alberti Friderici Consiliario, M
gard præclaræ Familiæ, & insignium

A 2



mē dete-
jos dere-
am, ubi
enit, ceu
& Poëse-
ligenter
opera.
Germa-
tate (te-
ltrò lau-
rit, & hac
cum, ad
centum
osterita-
Cæsareo
vum Fe-
ræclaros
ario ha-
sed solâ
erio cle-
jesus non
ogiam &
avit, &
as: hæc
onorum

IS FID-
tâ matu-
e Docto-
ij Ducis,
d Herm-
atronâ,
qua